

Innocentius IV. papa, Polonos ob singulare in ecclesiam studium, adversus omnium impetus, à legato defendi iubet.

228

Licet apostolatus officium nos universis constituat debitores, illis tamen specialius et efficacius adesse nos convenit, qui nullo medio subesse sedi apostolice dignoscantur. Cum itaque, sicut ex parte dilectorum filiorum nobilium virorum principum Poloniae fuit propositum coram nobis, progenitores eorum, postquam Christianae fidei notitiam habuerunt, eidem sedi solummodo subiecti fuerint et ipsi adhuc existant; et in signum subiectionis huiusmodi censum, qui denarius sancti Petri vulgariter appellatur, iidem, et habitatores Poloniae, ipsi sedi annis singulis persolverint hactenus et persolvant; mandamus quatenus eisdem principibus et habitatoribus, per te vel per alium, efficaciter presidio defensionis assistens, ac non permittens eos ab aliquibus molestari, si quas infeudationes, distributiones aut occupationes de terra Poloniae inveneris, tam à charissimo in Christo filio nostro Wilhelmo rege Romanorum illustri, quam ab aliis factas, denunties auctoritate nostra per te vel alium aliquatenus non valere etc. Datum Assisii 16. Kal. July, anno Decimo.

